Lane Medical Library

DE

MAMMAE MORBIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS KRETZSCHMAR

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

A. BIENENGRAEBER, med. et chir. Dd.

F. STEINGROEWER, med. et chir. Dd.

TH. BUETTNER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0185

PATRUO

OPTIMO, CARISSIMO

M. A. KRETZSCHMAR,

VERBI DIVINI MINISTRO APUD ABLASSIENSES,

NEC NON

SORORIS MARITO

EDUARDO FLEMMING,

CAUSIDICO ET NOTARIO PAGI ZAUCHO-BELTITIENSIS,

AMICO DILECTISSIMO

PAGELLAS HASCE

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Lectoribus benevolis hocce opusculum tradens non opus esse existimo, ut virium juvenilium imbecillitatem excusem. Nihil etiam proferam, quod in commendationem dissertatiunculae meae dici possit, sed modo adnotabo, me omnia, quae ad materiam hancce pertinentia invenerim, sedulo collegisse et in ordinem, qui commodissimus mihi videbatur, redegisse. Hoc autem addere liceat, me galactorrhoeam inter morbos gravidarum et puerperarum retulisse, quamvis non ignorarem, hanc mammarum affectionem in aliis quoque vitae periodis observari. Quum autem vera galactorrhoea iis tantum in casibus recte dicatur, quibus mammae ad lac secernendum idoneae sunt, nihil vituperii me subiturum esse opinor, quod inter alios puerperarum et gravidarum morbos locum certum galactorrhoeae assignaverim.

LITERATURA.

F. A. Schlegel, de statu sano et morboso mammarum in gravidis et puerperis. Jenae 1792.

Joerg, Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes. Leipzig 1809.

Boer's natürliche Geburtshülfe und Behandlung der Schwangern, Wöchnerinnen und neugebornen Kinder. Wien 1817. Bd. III.

Reil, über die Erkenntniss und Cur der Fieber. Halle 1805. Bd. III.

Benedict, Bemerkungen über die Krankheiten der Brust und Achseldrüsen. Breslau 1825.

A. Cooper, Illustrations on diseases of the breast. London 1829.

G. Jeanselme, Mémoire sur les inflammations et les abscès du sein chez la femme; in Gazette médicale. Janvier 1839.

A. Cooper, Vorlesungen, übersetzt v. Schütte. Leipzig 1837. Bd. I.

Busch, Geburtskunde. Berlin 1842.

A. MORBI MAMMARUM UTRIUSQUE SEXUS.

MORBI MAMMILLAE SIVE AREOLAE.

Infantis, qui maturus nascitur, mammae papilla humorem edit, lacti similem, quem exprimere solent obstetrices, inflammationem illo humore effici, opinantes. Quodnam organon humorem dictum gignat, primum quaeritur.

Quodsi papilla ad musculum pectoralem majorem recta dissecatur, tela invenitur glandulosa, quae, pisi magnitudinem aequans, pone papillam residet. Rubra est, vasculosa, ductus continens, e quibus primum lactea, postea sebacea materia exprimi potest. Papilla, super hacce tela in sinu quodam posita, rubicunda, nonnunquam granulosa apparet. A tertio inde ad octavum vitae annum mammillae ambitus decrescere solet, post annum octavum amplificatur, sub finem pubertatis papilla ex ea assurgit. Apud sexum sequiorem circa pubertatis periodum duo sese ostendunt tumores, quorum alter circulum exhibet minorem, papillam mammae ambientem, quippe quae

in hunc tumorem aliquantum immittatur, alter circulum majorem, qui ex glandula mammaria ipsa constat. Ductus excretorii glandulae mammariae papillam permeant. Apud viros etiam glandula mammillaris papillam constituit, loco autem canalium funiculi ligamentosi radiati a papillae apice per mammae substantiam discurrunt, qui in basi glandulae mammariae fines habent; interstitia explentur adipe, ut papillam prominentem sustinere queant.

Morbis, quibus mammillae obnoxiae sunt, adnumerantur:

1. Inflammatio mammillae. Mammillitis.

Neonatorum mammilla haud raro inflammatur, praecipue si ab obstetricibus, quod saepe accidit, comprimitur. Inflammatio decursum absolvit regularem parvusque oritur abscessus, qui, impositis cataplasmatis, brevi rumpitur et sanatur. Si infantes annorum octo — duodecim irritabiliores sunt, saepe mammilla tumescit, ita ut pone papillam inveniamus tumorem tactu durum, cujus diametros pollicem aequat, vel excedit. Cutis tumorem tegens nihil anomali offert, tactus autem magnos dolores aegrotantibus infert. Etsi ille mammillae tumor neque malignam assumit indolem, neque aliud minatur periculum, tamen pertinax interdum evadit, per duos vel tres menses persistens. Plerumque non utramque, sed alterutram mammillam occupat testeque experientia sexum potiorem crebrius, quam sequiorem adgreditur.

Quod ad curationem attinet, tumor aptissime tegitur pelle molliore, vel emplastro de galbano crocato, vel em-

plastro conii, cui aequalis portio emplastri mercurialis addita est. Interne primum pulvis alterans Plummeri cum pauxillo extracti conii et radicis rhei, postea decoctum rad. sarsaparillae et corticis chinae adhibeatur.

2) Scirrhus mammillae.

Tumor globosus post mammae papillam detegitur, initio haud dolorificus quidem, sed durissimus et paulo inaequalis, sensim increscens, cui deinde dolores superveniunt lancinantes, terebrantes, pungentes, ad humeros et brachia usque procedentes. Mox papillae superficies in ulcerationem vertitur, quae crustas flavo-fuscas concipit, amplificatur altiusque descendit, orbem sat magnum circa papillam describit telamque scirrhosam manifeste exhibet. Increscente ulceratione augentur dolores, tactus autem partis aegrotantis mediocrem dolorem efficit. Postea etiam glandulae axillares corripiuntur malumque non aliam indolem ac scirrhus glandulae mammariae exhibet.

Quodsi nec ulceratio longius processit, neque glandulae axillares sympathice affectae sunt, tumorem cultro auferre licet; orae vulneris adhaesiva inflammatione facile conglutinantur. Deleri etiam scirrhus potest arsenico, sed operatio cruenta huic methodo praestat. Sin morbus majora cepit incrementa, si ulceratio diffusa et partes vicinae tentatae sunt, ab operatione abstinendum et ad palliativam curationem confugiendum est.

3. Fungus mammillae.

Tumor hoc etiam in casu post papillam residet, ro-

tundiusculus est, tactu durus, scirrhi instar, rapidius crescit et quo amplior, eo mollior evadit: dolorificus non est, pressionis fere patiens et elapsis aliquot mensibus haud raro magnum exhibet ambitum. Viris crebrius quam mulieribus supervenit.

Quum interna remedia parum auxilii polliceantur, nihil superest, nisi fungi exstirpatio, quippe quae nonnunquam salutarem sese praestiterit. Astley Cooper plures ejusmodi fungos cum successu exstirpavit (1).

B. MORBI MAMMAE MULIEBRIS.

I. MORBI, QUI EXTRA GRAVIDITATEM ET PUERPERIUM OCCURRUNT.

1) Tumor chronicus glandulae mammariae.

Hocce malum, plerumque non malignum, corpora juvenilia, sana, inter vitae annum decimum septimum et tricesimum invadit et hypertrophia lobuli cujusdam singularis glandulae mammariae efficitur. Tumor laevis est, ut plurimum rotundiusculus, admodum mobilis, cuti non adnatus, doloris expers, fere semper superficialis, tarde crescens, glandis sclopetariae magnitudinem raro excedens. Saepe tumor in exteriore mammae latere, qua

---

(1) Cf. Astley Cooper's Vorlesungen Bd. I. p. 380. Uebersetzung v. Schütte 1837.

musculi pectoralis majoris tendo decurrit, conspicitur. Si digitis accuratius tumorem exploramus, mollem invenimus pluribusque componi lobulis, qui inter se cohaerent atque foveolis distinguuntur, facile cognoscimus. A scirrho et fungo isti tumores discernuntur situ superficiali, magna mobilitate, incremento tardo, dolorum defectu, indole lobulari, integritate valetudinis universae.

Causae horum tumorum raro manifestae sunt, plerumque puellae contusiones aut strophiorum pressionem accusant. A. Cooper (1) sympathicum uteri influxum causis adnumerat, ita ut excitatio hujus organi auctam glandulae mammariae actionem evocet novumque incrementum efficiat, cui opinioni illud favet, quod morbus praecipue mulieres non maritatas, aut partum haud enixas, adgreditur.

Quod ad curationem attinet, plurimum interest, ut mamma affecta defendatur a pressione, quam ob rem strophia seponantur et vestimenta majores habeant excisuras, necesse est. Praeterea mamma foveatur calore, injecta scilicet pelle, quae pressionem simul arceat. Tum dispiciendum est, utrum secretiones et excretiones naturales rite peragantur. Turbata alvi excretione, calomelas cum rheo et pauxillo magnesiae vel natri carbonici prodest; mensibus a norma alienatis ad ferri praeparata leviora confugiamus oportet. Externe emplastrum mercu-

---

(1) Astl. Cooper Krankh. der Brust. Tom. I. pag. 21. Weimar 1836.

riale cum empl. conii vel empl. gummi ammoniaci cum hydrargyro, imponatur. Tumor si crescit aegrotamque offendit, ad exstirpationem confugere licet, caute autem, quoniam saepe vasa numerosa substringantur necesse est.

2. Mammae enormes. Mammae pensiles.

Evenit interdum, ut in pubertatis periodo mirum in modum mammae crescant et ad ventrem usque demittantur; singuli glandulae lobuli triplo aut quadruplo majores solito inveniuntur. Plerumque cutis integra est, interdum vero mamma rubro-purpurea et dolorifica, papilla plana, areola admodum diffusa. Glandulae axillares nunquam afficiuntur, valetudo ut plurimum secunda est. A. Cooper (1) puellam quindecim annorum huic vitio obnoxiam curavit; ambitus mammae sinistrae pollices viginti tres, dextrae pollices duos et viginti aequabat. Decimo quarto vitae anno catamenia fluere coeperant; mamma sinistra jam duodecimo aetatis incrementa ostendit insolita indeque continuo crevit, mox dextra eandem conditionem abnormem subiit. Quoties menses fluebant, mammarum ambitus deminuebatur.

Ad tollendum hoc vitium, quod quidem difficile est, mammae suspensoriis fulciantur, interne alterantia remedia, ut pulv. Plummeri, cum extracto conii, praebeantur, necesse est. Quum jodi praeparatis mammas muliebres deminui compertum habeamus, his quoque uti licet; menses irregulares ad normam reducantur, oportet.

---

(1) A. Cooper Krankheiten der Brust p. 29.

Nonnunquam caelibes, catameniis anomalis aut fluore albo laborantes, abnormi mammarum amplificationi submittuntur, quae mensibus ad normam restitutis aut fluore albo sublato, sponte decrescit; ceterum mammae pensiles non sunt.

3. Tumores ossei et fibroso-cartilaginei mammarum.

Nonnunquam tumores mammarum fibroso-cartilaginei exoriuntur, qui serius ab exterioribus versus interiora in telam osseam mutantur. Tarde semper oriuntur, duritiem magnam, saepe osseam exhibent et interdum dolores acerbos, imprimis imminente catameniorum fluxu, efficiunt; qui si magnam atrocitatem assequuntur, tumor haud raro tactu calidus invenitur. Isti tumores mobiles sunt, procedente tempore amplificantur, nonnunquam pugni magnitudinem assequuntur. Quodsi permagnum ambitum obtinent, telam cellulosam, qua glandula cum musculis pectoralibus jungitur, admodum distendunt adeoque expandunt, ut inter glandulam mammariam et musculos pectoris digitos immittere possis. Nunquam isti tumores maligni evadunt.

Quum irritantia emplastra, cataplasmata et alia externa remedia nihil auxilii afferant, in sola exstirpatione salus quaerenda est.

4. Lipoma mammae.

Lipomata mammas adgredientia non raro ingentem amplitudinem nanciscuntur et ab aliarum partium lipomatibus essentialiter non discrepant. Quae, si nimium am-

bitum assequuntur, aegrotantes non mediocriter offendunt et cum successu exstirpantur. A. Cooper (1) lipoma exstirpavit, pondus librarum quatuordecim et unciarum decem habens; mammae ambitus unum et triginta pollices, longitudo decem pollices cum dimidio aequavit.

5. Hydatides mammae.

Exordia hujus morbi tumore indicuntur haud dolorifico, subduro, elastico, a partibus finitimis non bene discreto. Cutis tumorem obtegens dura non est, at venae cutaneae interdum varicosae evadunt; pressionis vix impatiens tumor est, valetudo universa haud turbata.

Incrementa horum tumorum amplificationi prompta sunt, saepe ingens eorum ambitus evadit. Quamdiu minores sunt, ab omni parte digitis ambiri et contineri queunt, sin ad majorem processerunt ambitum, alia loca solida, alia fluctuantia inveniuntur. Loco fluctuante lanceola inciso, serum effunditur, tumor collabitur, vulnus mox sanescit, serum denuo colligitur, tumor crescere pergit et interdum pondus librarum decem aut quindecim adipiscitur. Dolores deficiunt et neque glandulae axillares, neque valetudo universa offenduntur. Nonnunquam hydatidum una vel altera inflammatur et in ulcerationem vertitur, quo facto tumor, si rumpitur, partim serum partim pus edit. Locus ulceratus saepe sanatur, quoniam hydatidis parietes adhaesiva inflammatione concrescunt. Postea aliae hydatides, inflammatione correptae, eundem

(1) A. Cooper, Krankheiten der Brust p. 28.

exitum sortiri possunt. Etsi hic morbus inde a vicesimo vitae anno oriri potest, multo tamen frequentius provectiore aetate observatur. Si tumorem cultro examinamus, tam interstitia substantiae glandulosae, quam telam cellularem tendineam, cum hac conjunctam, multa fibrina impletam invenimus, quae inflammatione chronica specifica deponitur; praeterea hydatides plus minus deprehenduntur. A scirrho morbus eo discernitur, quod dolore propemodum caret, vicinas partes non adgreditur et universam valetudinem leviter tantum turbat; ceterum scirrhus raro eundem assequitur ambitum.

Quodsi una tantum hydatis exstat, lanceola commode aperitur et contenta emittuntur, quo facto per aperturam turunda inducitur, ut inflammatione adhaesiva parietum concretio efficiatur. Sin tot ac tantae hydatides ortae sunt, ut molestias aegrotanti inferant, mammae exstirpatio commendanda est, utpote quae laetum eventum habere soelat.

6. Neuralgia mammarum. Mastodynia neuralgica.

Plerumque inter decimum sextum et tricesimum vitae annum exoritur, ante pubertatem rarissime observatur. Unus alterve glandulae mammariae locus morbosam sensibilitatem concipit tactuque dolet; dolor prosopalgiae similis, celeriter per mammam ad humerum, axillam, latus internum cubiti, ad digitos, interdum ad coxam, diffunditur. Ut plurimum dolor imminente catameniorum fluxu ingravescit et nonnunquam tantam acerbitatem ob-

tinet, ut somnum auferat et vix sustineatur. Atrocissimus dolor facile ventriculum sympathice afficit vomitumque ciet. Frigoris et caloris sensus in mamma saepe alternat, cutis neque inflammationis vestigia, neque coloris mutationem ostendit. Nunc malum parvo mammae loco circumscribitur, nunc latius expanditur: accidit etiam ut utraque mamma aegrotet. Corpora tenera prae ceteris hic morbus adgreditur, cum chlorosi haud raro consociatur, decursum habet longissimum, nam per multos annos protrahi potest: indolem malignam nunquam assumit.

Proprium etiam tumorum genus in mamma occurrit, quos neuralgicos appellare possis: circumscripti sunt, admodum sensibiles, nucis juglandis magnitudinem non excedentes. Diu sine incremento possunt persistere, interdum dolores exuunt et sine causa manifesta evanescunt. Disquisitione anatomica substantiam deprehendimus solidam, semipellucidam, per quam fibrae irregulariter decurrunt: nervi intrantes non indagantur. Plerumque menstrua anomala sunt, saepe fluor albus exstat; pro causa occasionali ictus, plaga, vestimentorum pressio haberi solet. Dolor concomitans, tactus levissimi impatientia, imprimis dolorum acerbitas post topicam explorationem, hoc malum ab hydatidibus, fungo et scirrho distinguunt.

Ad perficiendam curationem mamma aegrota obtegatur pelli, aut serico cerato, aut emplastro e cerato cetacei cum aequali extracti belladonnae portione, aut cataplasmate adjectis narcoticis. Si dolores atrocissimi sunt,

hirudines mammae admovere licet, quarum applicatio frequentior autem irritabilitatem exaltat. Interne A. Cooper (1) hanc formulam commendat: Rp. Extr. Conii, Extr. papaveris aa gr. II, Extr. strammonii e semin. grani quadrantem aut dimid., m. f. pilula; S. bis terve per diem talis sumatur pilula. Ad restituendos menses ferri praeparata leviora, ut ferrum carbon. et ammon. muriat., ferrug. optime inserviunt. Exstirpatio mammae plane rejicienda.

7. Ecchymoses mammae.

Corpora juvenilia nonnunquam paulo ante mensium introitum strias aut maculas mammae, sanguine extravasato ortas, offerunt, quae contusionis speciem efficiunt. Pars affecta tactus admodum impatiens est dolorque saepe ad digitos lateris aegrotantis descendit. Interdum talis ecchymosis elapsa hebdomade post menstruationem evanescit, alias autem ad proximum mensium profluvium perdurat, periculi plane expers est. Hoc phaenomenon manifestissime sympathiam testatur, quae uterum inter et mammas locum habet, nam ecchymosis certissime est effectus congestionis sanguinis ingentis ad mammas ante purgationem menstruam, magnamque irritabilitatem cum nimia teneritate et debilitate vasorum sanguiferorum significat, quippe quae repentinum sanguinis impetum, sympathia inductum, arcere non valeant.

Prima medendi indicatio in eo est, ut uteri functio-

(1) A. Cooper, Krankheiten der Brust p. 32.

nes cum norma concilientur, cui scopo ferri praeparata leviora optime respondent, altera autem indicatio id agere debet, ut vires remediis aptis sustineantur. Externe fomenta ex liquore ammon. acet. cum alcohole utilitatem praestant.

8. Masthaematoma.

Mamma paullatim et modice tumescit similisque fit mammae turgenti, quae apud mulieres teneras, menstruationem exspectantes, invenitur; veruntamen tumescentia aliquanto major est sensationesque magis ingratas efficit. Deinceps superficies mammae soliditatem acquirit, raro autem haec morbi conditio ultra nonnullos dies protrahitur; mox enim partes vicinae mollitiem exhibere incipiunt. Media in mamma tumor parvus, segregatus, non durus oritur, eum tenens locum, quo mamma ineunte morbo, adhibito tactu leviori, dolebat. Primum hoc stadium per tempus incertum, menses scilicet duos, sex, imo annum persistit, dum symptomata, periodice evanescentia, novis causis occasionalibus reducuntur. Tumor instar corporis conici vel ovati tangitur, et a partibus vicinis non ita segregatus est, ut digitis facile rotetur; cohaerentia autem adeo levis est, ut sine difficultate ad latus dimoveri possit. Cutis neque rubet neque calet, partes, tumorem immediate circumdantes, dolorem, non raro stuporem sensus exhibent. Tumor superficialis est sensumque efficit tanquam corpus molle inter eum cutemque, quae super id protendatur et moveatur, resideat. Secundum quoque stadium per tempus varium perdurat, modo enim tumor

intra annum vix manifesto increscit, modo intra menses valde amplificatur. Accidit etiam ut tumor amplificatus aliquanto post decrescat; forma ejus semper rotunda invenitur.

Haud dubie huic malo morbosa venarum conditio subest, qua vel redeuntibus sanguinis congestionibus vel repetitis injuriis externis sanguis in telam cellulosam effunditur, cystisque satis solida formatur.

In curando hoc morbo conditio corporis universa sedulo respiciatur, primoque in stadio hirudines, cataplasmata resolventia et remedia purgantia adhibeantur. In secundo stadio pressio mediocris et cauta sanguinis evacuatio per paracentesin prosunt, exstirpatio mammae plerumque supervacua est.

Chelius, Handbuch der Chirurgie Bd. II. p. 600.

Monro, in Edinb. medical. Essays and observ. Vol. V.

Richter, Observat. chirurg. Taf. I.

J. Rodmann in Edinb. medical and surgical Journal. vol. XXX. p. I.

9. Tumores scrophulosi glandulae mammariae.

Junioribus feminis, habitu scrophuloso praeditis, nonnunquam indurationes tumoresque mammae superveniunt, qui doloris expertes circumscripti, laeves et pressionis vix impatientes sunt. Ut plurimum cum valetudine corporis universi status eorum congruit, etenim cum valetudine vel in melius vel in pejus vertuntur et vel increscunt vel

decrescunt, nec periculum inferunt, nec malignam indolem assumunt. Aetas aegrotae, symptomata dyscrasiae scrophulosae, inprimis autem illud, quod fere semper tumores plures, interdum satis numerosi, in mamma reperiuntur, medico persuadent, de scirrho non esse cogitandum.

A chronica mammae inflammatione tantum eo distinguuntur, quod pressionem ferunt et quod similes tumores glandulosi in aliis corporis partibus deprehenduntur.

Curatio remediorum antiscrophulosorum nec non eorum usum expostulat, quae corporis constitutionem alterant. Praeterea vitae ratio ad normam idoneam conformanda, externe emplastra et unguenta resolventia administranda sunt.

10. Fungus medullaris mammae.

Saepius mulieres aetate provectiores, quam puellas adgreditur, rarissime ante pupertatem invadit. Sub cute elevatur tumor parvus, pedetentim increscens, plane circumscriptus est, initio tactu durus, postea elasticus. Cutis initio normalem offert colorem, post aliquot menses autem rubet ac livescit, venae varicosae evadunt et locus mollis fluctuans exoritur, qui si arte aperitur vel sponte rumpitur, ichorem effundit flavidum, pellucidum, saepe foetentem et sanguine remixtum; differt igitur ab hydatidum liquore, quippe qui serosus sit. Rupto tumore excrescentia fungosa ex apertura emergit, quae, celeriter crescens, saepe radicem habens tenuem, fungi instar propullulat, tactu levissimo sanguinem reddit cultroque ablatus

rapidius renascitur (fungus haematodes), naturae autem relictus in superficie facile emoritur. Secretum cruentum odorem teterrimum spargit. Margines tumoris plerumque extrorsum volvuntur magnaque est proclivitas, in gangraenam transeundi, imo interdum gangraena tumorem destruit. Ut plurimum aegrotantes cito intereunt, a morbi exordio colorem pallidum, pergamenum exhibent et gastricas affectiones varii generis conqueruntur. Serius facies flavida, cachectica fit, febris lenta accedit, appetentia ciborum prosternitur, digestio ex toto labefactatur, macies in dies crescit, tandem marasmus vitam exstinguit. Dolor plerumque mediocris est, glandulae finitimae, praesertim axillares, nonnunquam afficiuntur, haud raro autem integrae sunt. Papilla mammae raro retrahitur, sed aeque ac cutis indolem normalem retinere solet.

Tumor cultro examinatus initio lobatus apparet, alia loca fibrinae consistentiam exhibent, alia molliora sunt, lactis cremori aut substantiae encephaloideae neonatorum similia; ceterum admixto cruore magis minusve tincta inveniuntur. Nonnunquam tumores praediti sunt cavitatibus, serum cruentum, felli simile, continentibus; e parietibus cavitatum substantiae fungosae subcrescunt.

A scirrho mammae eo discernitur fungus, quod inflammatio magis diffunditur; scirrhus durior est tumorque nunquam cystide includitur; venae magis varicosae efficiuntur fungo ortaque ulceratione fungus succrescit, qui levi tactu multum sanguinis edit; porro dolor, quem fun-

gus excitat multo mitior, cutis paene normalis est, papilla non retrahitur. Glandulae axillares aliaeque vicinae fungo minus afficiuntur, aegrotaeque denique multo celerius consumuntur, quam scirrho.

Fungus est morbus constitutionalis, passim hereditarius; reliqua ad hujus morbi pathogeniam spectantia latent. Progressus fungi affectibus animi deprimentibus aliisque injuriis valde acceleratur.

Prognosis semper infausta est, quum fungi medullaris evolutio inhiberi nequeat omnisque curatio salutari destituatur eventu; malum igitur, quibus supervenit, serius ocius ad inevitabilem mortem rapit.

Curatio interna rationalis, quae laetum polliceatur effectum, non datur, quoniam affectionis universae, cujus effigiem morbus localis sistit, natura nobis incognita est. Commendantur quidem decoctum Zittmanni, inunctiones mercuriales cum inedia, oleum morrhuae, jodum, varia stibii et hydrargyri praeparata, ut gravis alteratio assimilationis indeque totius vegetationis obtineatur, verumtamen experientia nequaquam harum medendi rationum usum comprobat. A. Cooper (1) pilulas hydrargyri submuriatici compositas et infusum rad. rhei cum soda commendat operationemque institui enixe jubet, sed haec curandi methodus minime reliquis praestat. Etiamsi operatio mature administratur, tamen morbus vel eodem vel alio in loco renascitur et aegrotantes consumit. Omne

(1) Astley Cooper Vorlesungen p. 369.

auxilium aegrotis ferendum in eo est, ut symptomata atrociora demulceantur viresque sustineantur.

11. Scirrhus et carcinoma mammae.

Morbus iste frequentissimus, postquam aliquamdiu perstitit, casu plerumque detegitur; aegrota sensu quodam ingrato in mamma, aut guttula seri cruenti per papillam effusi, aut dolore pungente mammae, subito irruente, impellitur, ut accuratius mammam exploret, quo facto tumorem invenit durissimum, non elasticum, sedem in glandula mammaria habentem. Mobilis est tumor, minus autem per se, quam cum mamma, i. e. super musculis pectoris dimoveri potest. Ut plurimum stricte circumscriptus est, saepe vero processus in glandulam mammariam porriguntur partesque ejus remotiores cum tumore conjungunt. Interdum tumor non reperitur in glandula mammaria, sed tota mamma indurata et amplificata, immo nonnunquam malum per telam cellulosam ad alterius lateris mammam propagatur. Nodus scirrhosus non initio sed serius dolet, doloresque primum periodici sunt, postea magis minusve continent, saepe vehementissimi, pungentes, urentes, terebrantes, lancinantes, nonnunquam rheumaticis doloribus similes fiunt. Haud raro a mamma aegrota inde ad humerum et brachium lateris affecti propagantur; paullo ante mensium fluxum plerumque acerbissimi sunt, incipiente autem profluvio mitescunt. Tumor initio glandis sclopetariae amplitudinem habens paullatim crescit ejusque diametros interdum pollices duos vel tres aequat. Peculiare illud est, quod tumor ad majorem ambitum

provectus papillam retrahit, quoniam ductuum lactiferorum situs mutatur intumescentia, talique modo papillae retractio efficitur. Saepe papilla rubescit, inflammatur, excoriatur, cutis, tumorem tegens, corrugatur et cicatricis similitudinem exhibet, cujus rei causa in eo est, quod inflammatione adhaesiva cum nodo scirrhoso concrescit. Glandulae sebaceae in cute mammae aegrotantis, inprimis, quae a papilla proxime absunt, sero nigrescente, sordido non raro implentur et si accuratius exploramus in tela cellulosa subcutanea saepe multi scirrhi, lentis magnitudinem habentes, deteguntur; glandulae axillares lateris affecti in sympathiam vocantur, tumescunt, duri et nodosi redduntur. Quodsi scirrhus internum mammae latus, i. e. regionem sterno obversam, occupat, glandulae lymphaticae cervicales supra claviculam tument, durescunt et nodosae evadunt; his enim in casibus morbus juxta decursum vasorum lymphaticorum per musculos intercostales propagatur et vasa lymphatica mammaria interna adgreditur, quae cum glandulis lymphaticis cervicalibus cohaerent. Nonnunquam scirrhus inde a glandulis axillaribus ad humerum et hinc ad glandulas supra claviculam positas procedit. Per menses, imo interdum per annos scirrhus primum stadium non excedit, adeoque aegrotos, antequam in ulcerationem vertitur, occidit. Plerumque tamen serius ocius tumor abit in ulcerationem: cutis scirrhum tegens ruborem lividum induit, dolor atrocior et pertinacior fit, tumor locum exhibet fluctuantem, quo tandem rupto, ichor tenuis, serosus effunditur; apertura deinde

amplificatur brevique tempore in ulcus carcinomatosum mutatur. Superficies talis ulceris magnam offert duritiem, in pressionem parum vel nihil reagit, margines duri et crispi sunt, saepe excrescentiae durae obtinent superficiem, quae partim ichorem partim sanguinem secernit. Paullatim ulcus et per ambitum diffunditur et in altum descendit, ita ut nonnunquam musculus pectoralis nudetur, imo adeo ulceratione ipsa corripiatur. Margines ulceris vel extrorsum vel introrsum volvuntur, interdum ad formandam cicatricem proni videntur, cujus tamen vestigia mox resorbentur et ulceratio procedit. Dum haec aguntur, aegrotae dolores lancinantes variarum partium ut pectoris, dorsi, crurum accusant; postremo dyspnoea, tussis sicca, affectiones cardialgicae accedunt, facies colorem pallido-flavescentem assumit, quandoque rubor genarum fugax apparet, brachium lateris affecti tumescit et tumor magis magisque durescit; magnus oritur erethismus tandemque marasmus aut febris hectica vitam exhauriunt.

Tumores scirrhosi initio mobiles sunt, etenim si mamma aegrota cum musculis pectoralibus nondum concrevit, partim juxta axim corporis longitudinalem, partim juxta decursum musculi pectoralis majoris possunt dimoveri, sin autem concretio cum musculo pectorali majori orta est, modo tumores juxta corporis axim longitudinalem movere licet. Quodsi denique adhaesio tumoris cum musculo pectorali majore non tantum verum etiam cum

musculis profundioribus et cum costis locum habet, tumor quasi adglutinatus videtur omnique mobilitate caret.

Tumor scirrhosus cultro examinatus generatim texturam exhibet cartilagineam, quae maceratione mollescit, ita vero, ut tela cellulosa, inter quam substantia scirrhosa deposita est, indurata remaneat. Duae distinguuntur telae, altera alba, fibrosa, durissima, altera coerulea, gelatinam spissiorem aequans. Dispositio utriusque telae variat, modo enim substantia fibrosa loculos format, telam coeruleam continentes, modo altera substantia, irregulariter alteri immixta, reperitur. In tumoribus mammae majoribus nonnunquam cavernae reperiuntur, serum cruentum continentes, quarum ex parietibus excrescentiae durae, albidae, brassicae oleraceae botrytidi similes, emergunt. Saepe nodi scirrhosi numerosi in mamma inveniuntur, alii majores, alii minores, nonnunquam tota mamma in massam scirrhosam abiit; imo haud raro in tela cellulosa subcutanea, mammam aegrotantem circumdante, tumores scirrhosi minores, lenticulis similes, deprehenduntur. Glandulae axillares lateris affecti plurimis in casibus tument, telamque scirrhosam continent et, si scirrhus mammae latus internum tenet, glandulae lymphaticae circa sternum et supra claviculam positae, plerumque scirrhosae apparent. Non raro mamma aut glandulae axillares alterius lateris metamorphosi scirrhosae submittuntur. Pleura et pulmo lateris affecti plerumque inflammationis vestigia manifesta offerunt et inter se coaluerunt; pleura costalis, nec non pulmonalis lateris aegro-

tantis saepe nodulis scirrhosis adeo obsessa reperitur, ut inaequalis appareat; praeterea tumores scirrhosi in renibus, utero, ovariis, glandula thyreoidea, tela cellulosa ossium invenitur, quae depositio causam dolorum lancinantium, quos aegroti accusant, continere videtur.

Raro scirrhus mammae aetati juvenili supervenit, saepius apud mulieres, quae vitae annum tricesimum excesserunt, frequentissime apud decrepitas observatur.

Aetiologia. Quemadmodum fungi ita etiam scirrhi pathogenia tenebris obfuscatur. In casibus longe plurimis hoc malum iis supervenit, quarum valetudo cachexiis et animi affectibus deprimentibus gravius labefacta est. Quibusdam familiis dispositio singularis esse videtur, saepe enim mulieres, quarum matres scirrho mammae laborant, absque causa manifesta eodem morbo tentari videmus. Multae aegrotantium ab ictu vel pressione scirrhum derivant, quamquam vero interdum accidit, ut talis injuria malum evocet, nunquam tamen haecce causa primaria est, sed dispositio jam antea corpori insita.

Prognosis. Scirrhus non minus funestum admittit praesagium, quam fungus, nullum est remedium, quod certum auxilium praestet. Generatim aegrotantes eo citius pereunt, quo studiosius morbum auferre conatur medicus; contra aliae, quae naturae scirrhum relinquunt, interdum multos per annos vitam agunt.

Curatio. Sicut remedia scirrhum resolventia desiderantur, ita exstirpatio tumoris effectu salutari destitui-

tur. Nihil ergo superest, quam ut palliativam curandi methodum ingrediamur, regimini idoneo mulierem submittamus et remedia in usum vocemus, quae morbi decursum inhibere valeant. Mamma aegrota ab omni injuria tuenda et temperies ejus aequabilis servanda est: optime pellis mollior imponitur. Necessarium quoque est, ut periculum aegrotantibus occultemus, ne terrore et sollicitudine percutiantur; inprimis omnia animi pathemata deprimentia arcenda sunt. Diaeta non nimis tenuis sit, quia corporis debilitatio scirrho incrementa suppeditat, altera autem parte esculenta et potulenta calefacientia nocent, quia scirrhi inflammationem evocare transitumque in carcinoma accelerare solent. Carnes semel quotidie praebeantur, alias victus vegetabilis, pro potu cerevisia nutriens parcius data, vel pauxillum vini non calefacientis. Praeterea corporis erethismus demulceatur, energia vero adaugeatur. Ad mitigandum erethismum omnes secretiones et excretiones blande promoveantur, prae ceteris alvi excretiones regulares sustineantur nec non diuresis et diaphoresis sarsaparillae decocto foveatur; inter narcotica, exaltatam sensibilitatem deprimentia, belladonna, aqua laucocerasi, opium, extract. vel tinct. strammonii eminent. Ad instaurandam energiam tonica remedia caute praebenda sunt, ut gentiana rubra cum exiguis natri carb. dosibus, praesertim si diathesis ad acidum primarum viarum, vel arthritis atonica locum habent; postea china. Tumore inflammato per intervalla hirudines aliquot applicandae sunt, ut coërceatur inflammatio; eodem

tempore aegrotantes curationi et diaetae antiphlogisticae submittantur, necesse est, donec inflammatio cesserit. Ad sedandos mammae dolores vehementes interne narcotica adhibenda sunt, externe unguentum cum opio imponendum; tegatur mamma emplastris narcoticis ut empl. hyoscyami vel belladonnae, quibus opii pauxillum addere licet. Si inflammatio eo processit, ut suppuratio vitari amplius nequeat, si fluctuatio jam animadvertitur, cataplasma ex herba cicutae aut hyoscyami imponatur, ut suppurationis incrementa foveantur. Sin vero carcinoma jam exstat, ulceri commodissime imponitur unguentum ex Adip. suilli unc. j. cum flor. Zinci vel magist. bismuthi dr. j. Ad demulcendos ulceris dolores acerbiores dicto unguento drachma una vel duae extr. hyoscyami aut belladonnae aut strammonii addendae sunt, caveatur vero opium, quippe quod locum ulceratum nimis irritet; foetor ulceris ingens adjecto carbonum pulvere minuatur. Quodsi ichor, quem ulcus secernit, acerrimus est, partes finitimae infrictionibus unguenti e zinco vel plumbo tuendae sunt; brachium lateris affecti, si tumescit, inde a digitorum apicibus involvi, a trunco corporis abduci et fulciri debet, ne lymphae circuitus inhibeatur. Si aegrota in hac palliativa curatione non acquiescit, sed operationem flagitat, instituere hanc licet, etsi prognosis infausta appareat. — Operatio, ad quam confugere placuit, tempestive instituatur, si aegrota ceterum bene se habet, unusque tantum nodus scirrhosus mammam occupat. Quibuscunque in casibus aegrota habitum suspectum, cachecticum

exhibet aut arthritide atonica laborat, aut mamma pluribus nodis obsessa est, aut ex toto induruit, aut tumores scirrhosi minores in tela cellulosa subcutanea circa mammam deprehenduntur, ab operatione abstineamus oportet, quippe quae aegrotantis perniciem acceleret. Vetatur quoque operatio si tumor scirrhosus cum mamma concrevit, et dimoveri amplius nequit: ambiguus etiam operationis est eventus, si glandulae axillares laborant, etenim si effectum speres prosperum, omnia vitiosa, nominatim cutis degenerata, auferantur, necesse est. Proinde quoque processus, quos tumor ad vicinas partes ablegat, studiose exstirpentur, et si nodus major est tota mamma amputetur, nominatim, si pluribus nodis teneatur. Glandulae axillares aegrotantes etiam submoveantur, attamen regio axillaris non singulatim incidatur, sed mamma cum glandulis axillaribus simul auferatur, ne vasa lymphatica remaneant, malumque revertatur. Prodest, tertia vel quarta ante operationem hebdomade brachium aegrotum fonticulo munire et vulnus post exstirpationem per primam intentionem sanare.

II. MORBI MAMMAE INTER GRAVIDITATEM ET PUERPERIUM

1. Inflammatio mammae. Mastitis.

a. Inflammatio erysipelacea.

Mammae muliebres inter graviditatem et lactationem facile inflammatione erysipelacea corripiuntur, quae super unam vel utramque mammam celeriter diffunditur, lactis secretionem disturbat, interdum, si ad majorem gradum

provehitur, usque ad telam cellulosam mammae descendit. Rubor superficialis rosaceus, aeque ac in erysipelate, pressioni cedit, tumor modicum dolorem magis tensionis sensum exhibet nihilque circumscripti habet. Raris in casibus nodi vel abscessus oriuntur, etenim regimine calido et adhibitis epithematibus calidis facile resolutio impetratur. Perfrigerium et animi pathemata praecipue morbum efficiunt.

b. Inflammatio mammae phlegmonosa et glandulosa.

Creberrime haec inflammatio adgreditur gravidas, puerperas, easque mulieres, quae infantem diutius lactatum a mammis depellunt. Nonnunquam utraque mamma, saepius alterutra, imo subinde pars aliqua glandulae mammariae corripitur. Focus inflammationis modo in tela cellulosa, qua cutis externa cum glandula conjungitur, modo in glandula ipsa cernitur, rarius in tela cellulosa, quae glandulam cum musculis pectoralibus connectit. Haec mastitis semper dolorem, ardorem ac tensionem, nec non tumorem organi affecti ciet. Saepenumero glandulae lymphaticae finitimae, glandulaeque axillares, tument atque dolent; febris accedit, si inflammatio gravior mulierque satis irritabilis est. Quodsi inflammatio in tela cellulosa subcutanea sedem habet, inde ab initio cutis externa simul inflammata rubraque invenitur, quoniam processus morbosus a tela cellulosa subcutanea ad cutem ipsam procedit. Praeterea cutis non amplius dimoveri potest, quoniam per exsudationem lymphae plasticae corpori glanduloso firmiter adglutinatur et quodque cutem dimovendi tentamen magnos dolores commovet. Sin inflammationis focus in glandula ipsa exstat, cutis initio a norma haud recedit et sine ullo dolore dimoveri potest, tumor tamen satis magnus est, inaequalis et singulares

acini glandulae tactu a tumore reliquo discernuntur. Magnus dolor presso tumore efficitur et lactis secretio, si locum habet, mastitide glandulosa inhibetur. Si denique tela cellulosa, glandulam cum musculis pectoralibus conjungens, inflammationis sedem exhibet, cutis externa non mutata, glandula acinique singuli tumoris expertes reperiuntur, mamma pressionem quandam absque dolore sustinet, si vero corpus glandulosum super musculos pectorales dimovere conamur, vehementes oriuntur dolores, quoniam tela cellulosa inflammata distenditur. Huic mastidis speciei facile supervenit pleuritis, quia per telam cellulosam ad musculos pectorales et intercostales inflammatio facile propagatur. Mastitis, tempestive apteque curata, haud raro resolvitur, verumtamen mastitis glandulosa raro perfectam resolutionem assequitur: inflammationis symptomata quidem majori ex parte recedunt, singulares autem acini inflammati durique manent nodosque lacteos, qui vocantur, exhibent. Mastitis neglecta, vel perperam curata, facile in suppurationem vertitur. Si inflammatio sedem habet in tela cellulosa, cutem externam cum corpore glanduloso conjungente, abscessus inter cutem et glandulam exoritur, quo facto locus quidam tumoris acuminatur, colorem coeruleo-livescentem induit, tunc rumpitur. Tales abscessus plerumque post aliquod tempus sponte sanantur. Mastitidis glandulosae suppuratio lente procedit et quamquam puris aliquod conflatum est, tamen ambitus abscessus magnam offert duritiem, quae tarde tantum mollescit; augescente puris copia tumor acuminatur, cutis rubescit, livescit, rumpitur. Hujusmodi abscessus minus facile sanantur et male curati plerumque fistulas efficiunt. Quodsi inflammatio telam cellulosam obsidet, musculos pectorales cum glandula conjungentem, modo nonnunquam suppuratio intrat: abscessus inter

glandulam mammariam musculosque pectoris oritur, qui ruptus interdum contenta sua in telam cellulosam glandulae effundit ejusque tumorem repente efficit, qui oedematoso similis, digito pressus, foveam relinquit. Ut plurimum pus descendit et in margine mammae inferiori abscessus congestivus existit, manifeste fluctuans, sed doloris, ruboris et duritiei expers.

Aetiologia. Principem hujus inflammationis causam sanguinis impetus sistit, qui exoritur, quoties infans mammae admovetur. Hicce impetus saepe irregularis, vehemens et frequens eo augetur, quod mammae inter lactationem nudantur earumque papillae nimia infantis cupiditate et suctione violentiori offenduntur. Haud raro obstetrices inflammationem, mox a partu orientem, eo adjuvant, quod infantem mammis statim admoveri vetant, simulque matribus potulenta excitantia praebent. Proinde non modo infanti detrahitur liquor, qui lactis secretioni in mammis praecedit saepeque remedii purgantis salutaris vices agit, mamma, dum plena manet, irritatur, verum etiam corpus maternum calefit et diathesin ad inflammationem concipit. Praeter has causas inprimis animi pathemata, curae, angor, terror, stomachus et cetera, deinde morbi papillae mammariae, qui infantis lactationem impediunt, lactatio plane suspensa, inflammationem inducunt. Mulieres mammis plenis et tensis, cuti tenera magnaque irritabilitate corporis praeditae ad has inflammationes prae ceteris opportunae sunt.

Prognosis. Etsi mastitis puerperarum saepe morbum dolorificum et pertinacem exhibet, raro tamen periculum infert, tum scilicet, cum dolor atrocissimus et suppuratio adeo profusa redditur, ut febris hectica corporisque tabes accedant, id quod feminis debilioribus facilius accidit. Plerumque post aliquod tempus perfecta

intrat sanatio, raro glandula mammaria vel partiali vel totali atrophia corripitur et futurae lactis secretioni impar redditur; indurationes, priorem lactationem secutae, saepenumero secunda resolvuntur: scirrhus vix unquam ex his indurationibus emergit.

Curatio. Eadem medendi ratione generatim opus est, quam aliarum glandularum inflammationes requirunt. Mox a puerperio regimen antiphlogisticum servandum, lactis effusio debita efficienda, aut, si infans non lactatur, derivatio sufficiens procuranda est. Puerpera modico calori submittatur, a carnibus, cerevisia, vino abstineat, ne lactis secretio adjuvetur: nutrimenta levia sint, ut sorbitiones aquosae vel jusculum carnis tenue, pro potu infusum specierum non excitantium vel aqua decocta exhibeatur, ceterum corporis quies animique tranquillitas aegrotae concilietur. Quodsi tempestiva lactatione regimine mammae calido infrictionibus oleosis, tegmentis pellitis excretio lactis induci et sustentari neque inflammatio caveri potuit, id potissimum agamus, ut majora hujus incrementa prohibeantur et resolutio quam primum efficiatur. Si tensio mammarum dolorifica exoritur, nodique lactei observantur, non modo transpiratio cutis universae foveatur, verum etiam mammae tegumentis calidis muniantur, suspensorio sustententur et laxante remedio salutaris derivatio inducatur. Inflammatione autem longius provecta eo enitamur oportet, ut medendi ratione idonea resolutionem obtineamus. Prae omnibus infans saepius mammis admoveatur necesse est, quoniam lac, pure nondum exorto, non solum indole noxia caret, sed etiam e parte sana glandulae mammariae potissimum evacuatur eaque ratione stagnationes novae caventur. Si infans mammam recusat, summi est momenti, ut lac alio modo evacuetur. Anetlia lacteae, hunc in finem propositae multo minus

satisfaciunt, quam os humanum. Non raro sua sponte lac effluit, si patina, aqua calida impleta, sub mamma collocatur. Inflammationem graviorem hirudines satis numerosae, saepius impositae resolvere, aut tumorem residuum diminuere possunt. Verumtamen mastitidi glandulosae, plerumque torpidae et chronicae sanguinis detractiones minus respondent, quippe quae energiam prorsus exhauriant et suppurationis loco indurationem inducant. Nihil autem lactis secretionem promptius restituit, materiarum vicissitudinem adjuvat et inflammatorium tumorem resolvit, quam calor humidus. Cataplasmata igitur emollientia cum fructu adhibentur, si inflammatio ad gradum majorem est evecta et suppuratio caveri amplius nequit. Tempestivus eorum usus non raro iis in casibus resolutionem efficit, quibus hanc vix sperare licebat; suppuratio saltem, quae subsequitur his in casibus exigua et benigna, tumorem plane resolvens, exoritur. Applicatio vero cataplasmatum continua et temperies aequabilis sit, necesse est. Inter substantias numerosas ad cataplasmata emollientia commendatas eae eligantur oportet, quae plurimum caloris humidi diutius continent, ut farina seminum lini, avena decorticata, mica panis albi, species ad cataplasma cum lacte, quibus herbae cicutae vel hyoscyami aliquid addi potest. Epithemata quoque frigida his in casibus sunt laudata, utpote quae inflammationem atque tensionem brevi tollant, dolorem ingentem papillarum promptissime demulceant lactisque secretionem magis promoveant, quam turbent. Si inflammatio magis est passiva et suppuratio propter energiae defectum tardius procedit, remedia irritantia adjiciantur cataplasmatibus, ut cepae, semina sinapeos etc. Infrictiones oleorum blandorum abscessus rupturam maturant, unguentum vero hydrargyri cinereum parum vel nihil resolvit et si adhibetur, ad

cutem aliquanto irritandam, cum linimento ammoniato debet conjungi; attamen emplastrum quoddam irritans eidem consilio respondet. Abscessus exorti incisio haud nimis properanda, sed patefactio ejus naturae commendanda est, quo fit, ut emollitio totius loci inflammati facilius et perfectius oriatur et sanatio postea promptius succedat. Rarioribus tantum in casibus abscessum cultro aperire licet, quoniam non modo vasa lactifera facile dissecantur, sed etiam, si emollitio imperfecta est, novo stimulo inflammatio augetur. Incisura, quae plerumque cicatricem deformem relinquit, a papilla quam longissime distare et ductibus excretoriis glandulae mammariae parallela esse debet. Punctura in parte mammae superiore vel inferiore, lanceolae ope facta, axi corporis longitudinali parallela sit, necesse est. Quodsi abscessus pone glandulam mammariam sedet, pus altiori punctione evacuari debet, quod, si non fit, pus vel in telam cellulosam glandulae, quae tumorem oedematosum tunc exhibet, aut in thoracis cavum effunditur et empyema gignit, vel descendit et abscessum congestivum format. Abscessus incisi apertura linteo carpto leviter tegatur et cataplasmata eo usque adhibeantur, donec omnis durities cesserit secretioque puris remittat, cujus effusio levi pressione, saepius repetita, adjuvari debet. Quum apertura non prius claudatur, quam puris secretio desierit, tam inutile, quam noxium est turandam immittere. Quodsi plures sunt abscessus canalibus fistularibus conjuncti, aut novi continuo oriuntur, quaeque durities humido calore bene liquefiat, necesse est. Usus continuus cataplasmatum, infrictionum oleosarum et emplastri mercurialis vel cicutae certo tandem sanationem perficit, praecipue si induratio passim torpida emplastris irritantibus ad vitam alacriorem incitetur. Contra autem fluidorum irritantium

injectiones, applicatio turundarum, incisiones, callum adaugent. Si diutius malum protrahitur, per intervalla seponenda sunt cataplasmata, ne nimia accedat relaxatio. Si pertinax fit suppuratio, si energiae defectus sanationem arceat, si natura secretioni morbosae glandulae mammariae adsuescit, si vires consumuntur, non modo cum alterantibus remediis roborantia conjungenda, sed etiam singulares conditiones, quae forte impediant cicatrisationem; respiciciendae sunt. Nonnunquam abscessu jam rupto, duritie autem non plane liquefacta, plures oriuntur aperturae, e quibus profluit pus. Fistula, si exoritur vel humor purulentus effunditur et durities aliqua remanet, vel humor lacteus editur, imprimis si durities cessit aut vas lactiferum forte laesum est. Priori in casu durities residua calore humido discutienda est, quo facto fistula sponte sua clauditur, in altero fistula lactea exstat, cujus causa in continua lactis secretione cernitur. Levis mammae compressio, diaeta parca, antiphlogistica et medicamenta derivantia pedetentim lactis secretionem inhibent et, ut laesum vas obliteretur, interdum efficiunt. Durities, quae, abscessu plane sanato, superest, vel continuato cataplasmatum et emplastrorum idoneorum usu tollitur, vel proximo demum puerperio exstinguitur.

2. Tumor lacteus mammarum.

Puerperis nonnunquam tumor mammae fluctuans supervenit, magnum habens ambitum, dolorem efficiens tendentem, omni rubore carens; quoties infans admovetur mammae, tumor introitu lactis maxime tenditur atque dolet. Lanceola in tumorem demissa lactis unciae aliquot effluunt, tumor subsidit, mox autem clauso vulnere renascitur. Causa est obstructio ductus alicujus lactiferi in papillae vicinia, quo fit, ut lac impedito effluxu canalem oppleat, nimis expendat, parietum ejus inflammationem et

perforationem inducat, ita ut lac per telam cellulosam finitimam diffundatur.

Quum inter lactationem tumor sanari nequeat, infantem a mammis depellere oportet; tunc lanceola tumor incisus sanescit, quia lac non amplius secernitur. Sin autem mater infantem a mammis non arcet, totum per tempus lactationis turunda in tumoris incisuram immittenda est, ut lactis effluvium sustineatur.

3. Papillae excoriatae et exulceratae.

Malum hoc dolorificentissimum creberrime primae lactationis periodo supervenit, praecipueque oritur, si vel papillae ipsae vel infantis os munditiei debitae non submittuntur. Caveri potest eo, quod gravidae per ultimum graviditatis tempus papillas vino rubro, aut spiritu vini Gallici saepe lavare jubentur; praeterea papilla tam ante, quam post lactionem aqua tepida et vino rubro sedulo purgetur, nec non infantis os eluatur. Si malum jam accessit, fissurae magis minusve longae altaeque in cute papillae observantur, quae ulcerationem exhibent valdeque dolent, praecipue si infans iis admovetur. Etiamsi dolores magni sint, infans crebro debet admoveri, ne mastitis oriatur.

Praeter munditiem summam adhibendum est linimentum ab Hufeland (1) commendatum.

Rp. Pulv. gummi arab. ʒII, Balsami peruvian. ʒI Ol. amygd. dulc. recens express. ʒIβ, Aquae rosar. ℥I. Mf. liniment. S. Sexies vel octies per diem papilla mammae plumulae ope oblinatur. — Joerg (2) balsamum peruviannm quoque laudat, saepe etiam eventum

(1) Journal der practischen Heilkunde. Bd. 14 St. 3.

(2) Joerg Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes, Leipzig 1809 p. 487.

saluberrimum impetravit insperso pulvere ex cortice chinae, gummi arab. et colophonio. A. Cooper(1) solutionem boracis ʒI in aquae destill. ℥IIIβ et spirit. vini ℥β commendat; Hanney (2) papillas lapide infernali tangi, unguentum zinci imponi et, antequam infans admoveatur, aliquoties lotiones ex boracis solutione saturatiore institui jubet. Alii denique solutionem aluminis, alii zincum sulphuricum, alii alia adhiberi jubent. Semper, antequam infans lactetur, aqua tepida mundetur papilla.

4. Papillae exiles.

Si puellae admodum juvenes matrimonium ineunt, saepe papilla tam exilis est, ut infans ore prehendere eam nequeat, et quoque experimentum infantem admovendi ingentes dolores efficiat. Jam inter graviditatem tales mulieres de amplificatione papillarum meditari debent easque iteratis vicibus protrahere. Quodsi infans papillam nullo pacto prehendere potest, homo adultus lac saepius debet exsugere, cujus os non modo papillam verum etiam glandulae mammariae partem amplectitur. Sin papillae, saepe protractae tam ante quam post puerperium, exiles manent, ad lactationem minime sunt idoneae, quam ob rem haec omittenda est.

5. Polygalia, Polygalactia. — Galactorrhoea.

Duplex hujus morbi species est. Nonnunquam mammae lacti secernendo minime pares, lac continere possunt: exempla (3) enim innotuerunt, quibus mammae infantulorum, imo puerorum lac secernerent; similia apud puellas et mulieres haud gravidas, imo ne menstruatas quidem observata sunt. In plerisque ejusmodi casibus morbi

(1) A. Cooper Krankheiten der Brust p. 6.

(2) London, Gazette medical 1834 Septbr.

(3) cf. Halleri Phys. T. VII p. 17. 18.

chronici ovariorum vel uteri locum habebant. Denique alii casus huc pertinent, quibus gravidae nimis mature aut copiose lac secernunt, eaque re offenduntur et languescunt; nec non casus, quibus post ablactationem mammae lac secernere pergunt. Altera polygaliae species, galactorrhoea nimirum, mulieribus lactantibus supervenit, dum secretio lactis tanta evadit, ut sponte sua lac effluat. Hac ex causa languor, macies, virium consumtio oriuntur et, quamquam magna est ciborum appetentia, tamen corpus in dies macrescit accedunt, cephalalgia, dolores trahentes dorsi aliarumque partium, qui infante mammis admoto ingravescunt. Interdum tussicula intrat, capitis dolor exacerbatur, ciborum appetentia prosternitur, fastidium subsequitur, imo horripilationes et aestus, rubor genarum circumscriptus, sitis continua, sudores nocturni. Si his non occurritur, dolores pectoris intrant, tussis frequentior et molestior fit, dyspnoea accedit tandemque phthisis pulmonum exquisita evolvitur. Nonnunquam lactis copia non absolute sed relative, i. e. ratione corporis habita, nimis copiosa est. Varium decursum morbus habet, modo post aliquot hebdomades, modo post menses, interdum post annos demum ab ablactatione finitur. In galactorrhoea vera solae mammae lac secernunt, spuria (1) iis in casibus vocatur, quibus lac per cutem, per umbilicum, per vias uriniferas secessisse dicitur; veruntamen veteriores tantum medici, non recentiores ejusmodi exempla observarunt. Plerumque galactorrhoea vera etiam indolem lactis mutat, quippe quod vel justo tenuius vel spissius, modo coloris viridescentis aut rubelli, nonnunquam oleosae indolis inveniatur.

Aetiologia. Creberrime galactorrhoea adgreditur

(1) v. Swieten, Comment. §. 1339.

mulieres teneras, magna irritabilitate praeditas. Causis occasionalibus frequentiores mammarum contrectationes, frictiones, maxime autem crebrior lactatio infantis adnumerantur. Praeterea substantiae quaedam sanguinis impetum ad mammas concitant et lactis secretionem adaugent, ut semen anethi, carvi, foeniculi, anisi. Non raro mammarum actio secretoria partium sexualium morbis chronicis sympathice adaugetur.

Prognosis praecipue ex morbi gradu metienda est. Quodsi enim nimium lactis profunditur, si mulier languescit, vel phthiseos pulmonalis indicia apparent, augurium semper malum habendum est; ceterum modica etiam galactorrhoea, nimis protracta, periculum inferre potest, praesertim feminis debilioribus ad phthisin pulmonalem propensis. Apud mulieres neque praegnantes neque lactantes plerumque lactis profluvium exiguum, attamen eatenus non parvi momenti est, quatenus vitia partium sexualium indicare solet. Si inter graviditatem lac praemature secernitur et largius effluit, tam mater, quam foetus detrimenta capit, facile abortus intrat vel infans in atrophiam incidit.

Curatio. Proximum est, ut injuriae et morbi, qui per consensum mammas afficiunt, submoveantur; deinde vitae periodus, in qua polygalia exorta est, respiciatur. Lac, in neonatorum mammis collectum, exprimendum non est, ne mammillitis oriatur; cataplasmata tepida aut emplastrum saponato - camphoratum his in casibus plurimum prosunt; sin mammilla inflammatione jam laborat, cataplasmatibus calidis ad morbi finem usque utendum est. Si inter graviditatem lactis secretio praematura aut nimis copiosa oritur, alvus praecipue ducenda, mammae spiritu vini Gallici aut vino, vel fluido aromatico adstringente lavandae, praeterea cucurbitulae

siccae ventri admovendae sunt, ut derivatio fiat a mammis. Quodsi mammae plus lactis secernunt, quam infans consumere possit, frequens corporis exercitatio, victus tenuior, purgantia leviora et cucurbitulae siccae, abdomini impositae, prosunt. Praeterea opportunum erit, linimentum camphoratum infricari, emplastrum saponato camphoratum imponi, suspensorio mammas muniri, leviter comprimi. Si profuso lactis effluvio metuimus, ne mulier gravius exhauriatur, infantem a mammis arceri, victum tenuem, purgantia blanda cucurbitularum siccarum applicationem imperari, mammas leviter sustentari et comprimi, lac in vasis lactiferis collectum impositis cataplasmatibus, spongia calida super mammam leviter deducta, infrictionibus evacuari necesse est. Alii morbi profusa lactis secretione exorti suis remediis curandi sunt.

cf. Hochberger. Diss. inaug. de galactorrhoea, Pragae 1835.

6. Agalactia.

Lac in mammis puerperarum vel non secernitur, vel secretio ejus recedit, etsi infans a mammis non arcetur. Nonnunquam lactis secretio admodum parca est, paullatim desinit, mammae collabuntur et flaccescunt. Accedit interdum, ut lactis secretio in mammis mulierum robustarum sanarumque subito deficiat; priore in casu affectio saepe transitoria, per horas vel dies modo persistit; altero in casu malum adeo pertinax esse solet, ut ab infantum lactatione abstinendum sit.

Aetiologia. Haec affectio iis potissimum supervenit mulieribus, quae torpidae, leucophlegmaticae, aetate provectiores sunt et priores infantes ipsae non lactarunt. Causis occasionalibus adnumerantur inflammatio mammae glandulosa, irritatio eorum organorum, quae cum mammis consensum alunt, quo fit, ut lactis secretio non

raro in metritide aut peritonitide, vel apud eas mulieres, quae inter lactationem onaniae indulgent aut coitum frequentius exercent, aut catameniorum reditum experiuntur, aut concipiunt, desinat. Quandoque graviores corporis labores, perfrigeria, diarrhoeae, deprimentia animi pathemata etc. lactis secretionem supprimunt, id quod etiam repentina vitae mutatione effici potest v. c. apud nutrices quae ex pago ad urbem proficiscuntur.

Prognosis praesertim ex causis, agalactiam efficientibus, metienda est. Per se nihil periculi affert agalactia, veruntamen atrocitatem illius morbi indicat, qui efficacia consensuali agalactiam excitavit. Repentina lactis defectio pejor est, quam successiva, priori enim in casu vicariae secretiones aliorum organorum interdum oriuntur. Agalactia recens orta multo facilius tollitur, quam protracta. Si agalactia non cognoscitur, periculum redundare potest in infantem, quippe quem sitis et fames conficere queant. Infantes his in casibus admodum inquieti sunt, obstipati, parum mingunt, macrescunt.

Curatio. Primum variae submoveantur causae et remedia ea adhibeantur, quae mammarum actionem augeant, ut fomenta tepida leviter irritantia, frictiones, cucurbitulae siccae, vesicatorium inter utramque mammam positum, ceterum infans frequenter mammis admoveatur. Caveamus autem, si vel universi corporis debilitas vel diathesis morbosa exstat, ne lactis secretio violentius cieatur et tali modo sequelae perniciosissimae inducantur. Mammae calore modico foveantur, lana, gossypio, pelli tegantur, victus nutriens sit, cui addatur infusum concentratum anethi, foeniculi, carvi, anisi, cibi cum lacte parati, pro potu lac animale, cerevisia, sat nutriens jusculum carnis; pediluvia et purgantia vitentur. Aegrotae quieti debitae

indulgeant omnemque excitationem caveant. Si animi pathema aut perfrigerium morbi causam suppeditavit, regimen diaphoreticum administretur et infans frequenter mammis admoveatur. Henricus Meier nutricibus, agalactia subito correptis, emeticum, deinde pultem spissam e seminibus panici miliacei dedit, Kluge mane et post meridiem duas infusi coffeae concentrati phialas cum cremore lactis pingui et pane albo, butyro largius illito, praebet.

VITA.

Ego Carolus Traugott Kretzschmar, Saxo-Borussus, evangelicae addictus confessioni, anno hujus saeculi vicesimo primo die secundo m. Octobris Beltitiae sum natus. Fatrem Carolum Traugott, medicum practicum, inde ex sex annis morte mihi abreptum lugeo, matrem dilectissimam e gente Lautensack adhuc vivam et salvam pio gratoque animo veneror neque unquam venerari desinam. Primis litterarum elementis in schola Beltitiensi, t. t. Cl. Schröter florente, imbutus gymnasium Vitebergense, quod directore Cel. Spitzner jam beato florebat, per sex annos et dimidium frequentavi. Vernali anni MDCCCXL tempore, absoluto examine solito, maturitatis testimonio munitus ab Ill. Twesten t. t. rectore magnifico civibus universitatis litterarum Berolinensis adscriptus, ab Ill. Hecker, gratiosi medicorum ordinis t. t. decano maxime spectabili, inter artis medicae studiosos sum receptus. Dein Halis interfui scholis medicis, anno vero MDCCCXLIII vernali tempore hanc almam Fridericam Guilelmam iterum petii, ubi per annum studia medica sum persecutus.

Per quadriennium his interfui scholis: Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia artis medicae, Ill. Trendelenburg de logice, Cel. Ideler de anthropologia, Cel. Dove de physice, Ill. Weiss de mineralogia, Ill. Link de botanice et de historia naturali, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Mitscherlich de chemia, Cel. Steinberg de chemia organica, analytica et de pharmacia, Ill. Schlemm de osteologia, Ill. Müller

de anatomia, physiologia et anatomia comparata, Ill. Schlemm, Ill. Mueller et Ill. d'Alton de arte cadavera rite secandi, Cel. Eck de pathologia generali, Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali, Exp. Krahmer de materia medica, Ill. Blasius de chirurgia, de arte fascias chirurgicas applicandi, de ossibus fractis et luxatis, Ill. Friedlaender de historia medicinae, Cel. Kluge de arte obstetricia.

Ad praxin medicam Ill. Krukenberg, Cel. Truestedt, Cel. Romberg, ad chirurgicam et ophthalmiatricam Ill. Blasius et Ill. Juengken, ad obstetriciam Cel. Kluge me instituerunt.

Ex mense Octobri anni praeteriti in cohorte prima legionis tormentariae chirurgi militaris munere fungor, duce Cel. Stumpf, ut reipublicae legibus satisfaciam.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago semperque habebo, quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Quo simplicius eo felicius curamus.
2. Diagnosis pectoris morborum sine auscultatione et percussione incerta.
3. Partus praematurus sectioni caesareae et perforationi foetus est praeferendus.
4. Certum virginitatis integrae signum esse nego.
5. Menstruatio non haemorrhagia sed secretio.
6. Signa graviditatis seorsum spectata fallacia sunt.

7316